

anorum distantia) non minor in ueris, & æqualibus luminarium conjunctionibus, nec dissimilis in planetarum motibus anticipatio reperitur, non parum quidem de eo admirandum extat. Quum maxime idem Stœflerinus hisce uel similibus Alphonsi tabulis in eiusdem supputationibus confusus æque fuerit, dum propositione. 34. sublitera. 2. & alibi, hoc idem annuat, dum inquit. Supputatorias tabulas mihi usu habitas, ab alphonsinis nusquam discrepantes in manus recepimus & cætera. Quòd si ab eisdem dissentire ipsi modo uisum fuit, atq; in annua solari quantitate, Albategni sententiæ, uel aliorum forte minori hanc temporis spatium quam Alphonsi tabulæ absoluentium inhærendo, certam prædictorum minorum temporis præuentionem, aut secus erroris alicuius notam in præmissis aliquo qualiter sensibilem nouit, cur non illam alicubi editionum suarum palam ostendendo aperuerit, non parum quidem admirationis nobis et alijs quoq; attulit, quod Paulus prædictus, Nicolaus Cusanus, Petrus Cameracensis ambo Romanæ ecclesiæ Cardinales, Campanus quoq; Augustinus Ritius, Hieronymus Castilioneus, ac demum conteraneus, & ciuis noster Fracastorius ille Medicorum, ac Philosophorum, uel etiam uatum præclarissimus minime obtulerunt. Sed neque tamen ipsius Stœflerini Ephemerides in planetarum congressibus, atque stellarum fixarum motibus ab omni erroris crimine purgantur. Quod cernentibus sensibilibiter innotuit in conjunctione magna Saturni & Martis anno domini. 1536. Quæ uigesimo quinto Maii in eiusdem diariis annotatur. Cum tamen diebus circiter tribus cælo palam præcessisse, ac uulgaribus per dies plures etiam præuenisse uisa sit. Quum hi tamen per uisuaem lineam ab oculis eorum ad stellas ipsas fallerentur, minime percipientes alium esse circuli transitum per polos zodiaci, & centrum stellæ, qui stellarum longitudinem metitur, alium autem circumlum, qui per Zenith nostrum, siue horizontis polum, ac stellæ centrum pertransit, quiq; altitudinem stellæ, non longitudinalem distantiam ostendit. Nec me fugit aliquos etiam non uulgariter doctos, atq; astronomicæ artis non ignaros prædictas Alphonsi, atq; aliorum cælestium motuum tabulas omnes damnare, quòd scilicet ex aceruatione minutiorum aliquot in medijs planetarum, ac cælestium orbium motibus omissorum per multum temporis spatium erroris congeriem clanculum adducant. quod iudicialiter tantum imbuto, ac mathematicæ artis immuni facile credo persuaderi poterit, non tamen arithmeticam uel mediocriter etiam calenti. Qui datis etiam octauis triginta motus alicuius in anno prætermisissis, hisq; per 6000. productis, sexta quinquaginta tantum in annis totidem ex cogerie ipsa eduxerit. Dicendum est igitur quòd omnium ferè mathematicorum assensu, Alphonsus ipse maximam præ cæteris planetarum motibus ueritatem adiunxerit (licet ab aliquibus in stellarum fixarum & augium annotatione arguatur) & iam annis pluribus elapsis eclipses luminarium, & reliquorum planetarum ueri motus comprehenduntur. Et si quis error aliquando in Saturni, & Martis motu (ut prædixi